

PRAEFATIO

superet¹. inter *M* autem et *P* dubitanti subvenit codex Gudianus (γ), qui, quamvis saeculo nono litteris minusculis sit scriptus, tamen ex communi ceterorum archetypo ortus est, et, si ad scribae fidem et intellegentiam spectes, dignus videbitur qui in consilium vocetur. itaque cum Medicei et Palatini non eadem sit virtus, solus autem *P* veram lectionem paulo saepius praebeat, Gudianus etiam cum Mediceo vel Palatino saepius in verum servando quam in errorem propagando fere conspiret, in stlitibus inter illos iudicandis Gudiani testimonium adhibendum est, et consensus *M γ* contra *P* vel *P γ* contra *M*, hic autem paulo saepius quam ille, dignus fide censendus est. sed neque correctores Medicei et Palatini antiquissimos neglegas²: libris enim bonis usi sunt, et quamquam ubi diversam lectionem praebet corrector, interpolationis occurrit suspicio, ubi tamen *M²* cum *P γ* vel *P²* cum *M γ* conspirat meliorem archetypi lectionem saepius conservare putandus est³.

Quam igitur rationem inter optimos codices exsistere opiner quasi adumbratam habes: de reliquis, qui litteris minusculis scripti sunt, non est cur multa dicam. neque

¹ Cuius rei testimonia locupletissima attulit Ribbeck in Prolegomenis; licet enim vir doctus Palatini auctoritati nimium inservire videatur, eis (velut Nettleship, Thilo, Deuticke, Güthling, Chatelain) qui Mediceum pluris faciunt astipulari non possum. minime autem in carminibus Vergili recensendis valent artis palaeographicae rationes, quippe ubi vitia pleraque in archetypo interpolato requirenda sint, et potius ex ingenio scribarum quam ex errore vel neglegentia scribendi oriuntur.

² Novem Medicei correctores agnoscit M. Hoffmann, quorum secundum etiam subscriptionem dictam Apronianus scripsisse putat; quam tamen cave ne re vera Apronianus esse credas.

³ Etiam grammaticorum testimonia, ad textum antiquorum scriptorum restituendum, adhibenda esse inter omnis constat; minus autem poetae nostro prosunt, quippe qui ipsi non nisi interpolatis libris usi sint.